



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 239. Quid de asylo sit notandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

rati, quam habent, ut ex testamento vel donatione acquirant immobilia, uti docent plurimi cum *Lugo* in Resp. Mor. l. 1. dub. 8.

Q. 239. Quid de asylo sit notandum R. Seqq. 1392.

§. I. Immunitas asyli est privilegium locis ad Dei cultum ordinatis concessum, ut nemo ex illis violenter extrahat aliquem, Cap. *Inter alia*, de Immun. Eccl., Constit. *Gregorii XIV.*, Cum alijs, aliisque locis apud *Delbene* de Immun. Eccl. Cap. 16. dub. I. Videtur autem immunitas asyli introducta jure tantum Canonico & civili, attamen conformiter juri divino & naturali, *Covarr. Suar. Bonac. Delb. d. 2.* contra alios. Et quamvis *Covarr.* & alij putent strictè interpretandam esse, quia derogat juri communi, tamen contradicunt *Farinac.* & alii cum *Delb. d. 3.*, quia est causa pia & favorabilis, tum Ecclesie, tum Reo, pro quo standum. Non posse autem aliquam consuetudine tolli jus asyli, probabiliter tenent *Mascard. Bonac. Tann.* & alii cum *Delb. d. 6.* contra *Nav. Suar. Laym. Gav.* & multos alios, tum quia Constitutio *Gregorii* habet decretum irritans, tum etiam quia Bulla Cœnæ quotannis contradicit, nec unquam fiet cum scitu & dissimulatione Sedis Apostolicæ.

Competit autem hoc asylum omni Ecclesie auctoritate Episcopi stabiliter destinatae ad Dei cultum, uti habent Canones apud *Delb. d. 1.* & apud *Carden.* in I. crisi d. 61. an 212. & 217. Nec opus est, ut sit consecrata, Cap. *Ecclesia*, de Imm. Eccl. Neque ut in ea asservetur Eucharistia, *Farin. Bonn. Delb. d. 9. l. 1.* contra *Covarr. Tusch.* Neque ut in ea actu celebratum sit, *Sily. Sanch. Delb. l. c.* cum communi contra *Gloss. Innoc. Tusch.* Estque satis, quod auctoritate Episcopi construi cœperit, *Abb. Anchar. Farin. Sanch. Delb. l. 2.* Neque obstat, quod sit

fit polluta, *Tusch. Suar. Azor, Farin. Delb. f. 3.*
 Neque, quòd fit interdicta, iidem cum *Delb. f. 4.*
 Neque, quòd fit ferè destructa, quia his omnibus
 non obstantibus est & manet locus sacer cultui divi-
 no dicatus. Quòd si planè destructa fit, sed sine li-
 centia Episcopi, & manserit, spes reedificationis,
 locus pergit gaudere immunitate, *Barb. Bon. Delb. f. 5.*

Eodem privilegio gaudent, 1. Ecclesiæ tectum,
 scilicet, parietes, Sacristia, turres, portæ manu apprehensæ,
Tusch. Decian. Suar. Sperel. Fagund. Bon. Delb. d. 9. f. 6. referens leges. 2. Campanile, licet
 distet ab Ecclesia, sed non ultra 30. passus, uti bis de-
 claravit S. Congreg. apud *Delb. l. c.* An etiam locus
 alius vicinus Ecclesiæ, vide *Delb. f. 8.* 3. Quæ adhæ-
 rent Ecclesiæ, uti claustrum, porticus, ambitus, *Abb. Nav. Tusch. Suar. Delb. f. 7.* 4. Cœmeterium,
 quamvis separatum ab Ecclesia, quia præsumitur
 benedictum & auctoritate Episcopi sacrum, *Nav. Farin. Castrop. Delb. f. 9.* 5. Hospitale auctoritate
 Episcopi erectum, *Abb. Nav. Barb. Suar. Sperel. Delb. f. 10.* 6. Conventus seu domus Religiosorum;
 & huc spectant cellæ, dormitorium, hortus, domus familiarium & animalium, *L. Pateant, Cod. De his, qui ad Ecclesiam, Silv. Sanch. Farin. Castrop. Delb. f. 11.* Item villæ sive grangiæ, quas etiam re-
 creationis causâ habent Religiosi Cistercienses, &
 cum illis communicantes, per privilegium *Eugenii IV.*
 apud *Lugo* in Resp. Mor. l. 3. d. 15. 7. Oratorium
 auctoritate Episcopi, non autem privatâ, erectum,
Abb. Covarr. Nav. Barb. Delb. f. 12. 8. Domus Clericorum
 in communi viventium auctoritate Episcopi erectæ,
 quia sunt loca pia, *Diana & alii cum Delb. f. 13.* 9. Palatium Episcopi,
 etiam absentis vel mortui, si non sit alteri locatum,
Cap. 1d consti

constituimus 17. q. 4. Etiam si ab Ecclesia Cathedrali abesset ultra 40. passus, *Farin. Az.* Et quamvis Episcopus haberet plura palatia, *Germon.* Et quamvis in palatio nullum esset oratorium, quia *Cap. cit. id dicitur absolute, Nav. Tusch. Suar. Delb. f. 14.* Attamen non gaudent palatia Cardinalium, saltem Romæ, ob *Constit. Gregorii XIII. & Sixti V., Farin. Barb.* Nec palatia Legatorum Principum secularium, uti satis declaravit *Innoc. XI.,* docentque *Nav. Sanch. Delb. f. 15.* Imò nec jam gaudent, propter abusus, statuz aut palatia Regum & Principum, *Delb. f. 17. 10.* Gaudet tabernaculum S. Eucharistiæ, hinc qui confugit ad Sacerdotem ferentem illam in platea, aut qui se miscet illam comitantibus, capi non potest, sic enim habet consuetudo, *Silv. Angel. Nav. Barb. Tann. & alii multi cum Delb. f. 16.* Excipe, si in carcere confugeret ad Sacerdotem illuc deportantem, tum enim non gaudet, *Tusch. Covarr. Suar. Delb. d. 10. f. 7.*

§. II. Beneficio asyli gaudent omnes baptizati, illis exceptis, de quibus n. 1394. Item non baptizati, si baptismum petant: imò & probabiliter quicumque non baptizati, etiam Judæi, quia non est tam personæ quam loci privilegium, *Hostien. Inn. S. Anton. Tabien. Tiraq. Arm. Az. Barb. Gav. & alii cum Delb. d. 10. f. 4. contra Covarr. Farin. & alios: attamen l. 1. Cod. De his, qui ad Ecclesiam, statuitur, ut Judæi debitis fatigati non recipiantur, antequam debita universa reddiderint. Gaudent etiam suspensi & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, etiam denunciati, uti volunt *Silv. Nav. Tusch. Covarr. Suar. Farin. Bon. Delb. f. 2. contra Felin. & alios. Item excommunicati, etiam denunciati, uti volunt *Silv. Nav. Ang. Arm. Delb. f. 3.* Item exules, banniti & condemnati ob crimen, *Clarus, Farin. Nav. Delb. f. 5.***

1393

f. 5. & dub. 24. f. 17. Item fugiens è carcere vel exilio, *Abb. Silv. Covarr. Farin. Tusch. Barb. Laym. Delb.* dub. 10. f. 6. contra alios. Item fugiens è manibus satellitum, aut hos secum trahens in Ecclesiam, quia verum est, quòd ad Ecclesiam confugerit, *Delb.* f. 7. Quod tenet, etiamsi elabatur, dum educitur ad supplicium aut ad triremes, uti habet communior cum *Delb.* f. 8. & 9. contra alios. Idem tenet, etiamsi jurarit se rediturum ad carcerem, *Abb. Covar. Silv. Laym. Delb.* f. 10. Gaudet etiam servus comparativè ad dominum: si tamen hic juret & præstet securitatem de ejus impunitate, debet etiam invitus reddi domino, *alioquin à domino poterit occupari*, *Cap. Inter alia de Immun. Eccles. Az. Farin. Gutt. Delb.* f. 13. Attamen Religiosus, v. g. apostata non gaudet comparativè ad Prælatum suum; saltem si confugerit ad Ecclesiam suæ religionis, uti habet communis: si autem ad aliam, *Rebuff. Barb. Trull. Diana* dicunt contra alios gaudere; *Vide Delb.* f. 15. Et valet immunitas etiam quoad civilia, v. g. si debitor confugiat ad Ecclesiam, ne incarceretur, *Abb. Silv. Covar. Nav. Suar. Laym. Bon.* & alii cum *Delb.* dub. 11. f. 1. & seqq. contra alios: quod tenent aliqui cum *Delb.* f. 4. contra alios, etiamsi debitor suspectus sit de fuga meditata: item licèt sit debitor tributorum, *Farin. Suar. Az. Laym. Bonac. Delb.* f. 5. contra *Anchar. Butv. Cutell.* & alios. Item, licèt foret fraudulentus decoctor, *Covarr. Farin. Suar. Nav. Delb.* f. 6. Nec ulla crimina, quantumvis atrocia, privant hoc jure asyli, exceptis octo, quæ n. 1394. referemus, hæc enim sola excipit *Greg. XIV.*, tollens & abrogans omnes alios casus, & reducens omnia alia jura ad tenorem hujus suæ Constitutionis, *Delb.* dub. 24. & 33. Unde gaudet cu- dens falsam monetam vel bonam tondens, *Gutt. Farin.*

Farin. Delb. d. 24. f. 18. contra Sarpum. Item defraudans fiscum vel Reip. peculium, *Delb. f. 19.* Extrahens illum, qui ad Ecclesiam confugit, *Delb. f. 20.* Occidens Clericum, Religiosum, Episcopum, *Delb. f. 21. & 23.*; licet *Gobat* in Exp. t. 3. post n. 265. app. 2. litt. A. & seqq. putet eum non gaudere, qui præmeditatum commisit homicidium. Etiam gaudet, qui commisit crimen exceptum, si confugerit & queratur propter aliud crimen non exceptum, *Delb. f. 22.*

§. III. Octo crimina excepta complexus est his 1374
 verbis Greg. XIV. *Laicis ad Ecclesias locaque sacra confugientibus, si fuerint publici latrones viarumque grassatores, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, qui ve homicidia vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumque cæmeteriis committere non verentur, qui proditione proximum suum occiderunt; aut assassinii, aut hæresis, vel læsa Majestatis Rei in persona ipsius Principis, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Et circa hæc, notanda sunt seqq.,

I. Ut quis dicatur publicus latro, debet saltem bis vel ter esse latrocinatus, nam tale nomen sonat frequentiam, *Abb. Barb. Delb. dub. 13.* Nec sufficit esse simplicem furem, uti habet communis cum *Delb. d. 14.*; nequidem si in Ecclesia furetur res sacras, ideoque perfringat fores Ecclesiæ &c., quamvis tum capi & attineri possit à Ministris Ecclesiæ, *Delb. d. 24. f. 8. & 15.*, sed requiritur, ut ex insidiis erumpens spoliet homines rebus suis, intentatâ morte, si id impedire velint aut permittere renuant.

II. Qui è viis publicis captivos abducit homines, dicitur saltem grassator, *Maranta, Dian. Delb. d. 15. contra Novar.*; si tamen ex accidenti, non ex insidiis,

diis, sed occurrentes in via spoliatur, probabile est gaudere immunitate asyli, *Farin. Delb. n. 18.*

III. Sufficit esse agrorum depopulatorem occultum, sive diurnum sive nocturnum, *Farin. Delb. d. 16. & 17.* Negant tamen aliqui sufficere, quod sit publicus incendiarius, *Delb. d. 24. f. 4.*

IV. Mutilator est, qui non tantum debilitat sed abscindit membrum, id est, partem, quæ habet officium distinctum ab aliis partibus, uti manus, pes, auris, nasus, mamilla foeminae, *Mol. Sayr. Regin.*; talis autem in Ecclesia mutilans nequidem alterius Ecclesiae asylo gaudet; Vide *Delb. d. 19. f. 1.* E contra gaudet, qui tantum vulneravit, etiam graviter, *Barb. Castrop. Delb. f. 2.* Item qui occidit tantum se defendens cum moderamine inculpatae tutelae, *Delb. f. 4.* cum communi. Item qui existens in Ecclesia glande occideret transeuntem in platea, quia non occidit in sed ex Ecclesia, *Ricc. Bon. Dian. Delb. f. 5.* contra alios multos: si tamen existens in platea glande occidat existentem in Ecclesia, non gaudet: aliud est, si vulneratus extra Ecclesiam, postea moreretur in Ecclesia, tum enim gauderet, *Nav. Covar. Suar. Laym. Delb. f. 7.*, uti & ille videtur gaudere, qui occidit tantum in sacristia, scalis, tecto, atrio, porticu, campanili, quia licet hæc in favorabilibus veniant nomine Ecclesiae, non tamen in odiosis, quale est restrictio immunitatis Ecclesiasticae, *Abb. Ang. Nav. Laym. Delb. f. 6.* contra plurimos alios. Item gaudet, qui tantum mandavit occidi in Ecclesia, *Delb. f. 8.* Item vi vel fraude extrahens & occidens extra Ecclesiam, *Delb. f. 9.* contra *Az. & Farin.*

V. Ille proditoriè occidit proximum, qui per insidias & sub specie amicitiae occidit incautum sive nihil sibi potentem cavere, uti ex jure communi docent

docent *Farin. Suar. Sanch. Delb. d. 20. f. 1.* (Per proximum autem intelligitur quivis, etiam infidelis, *Delb. f. 4.*) Hinc proditorius est, qui alium nullâ præcedente inimicitia vel rixâ, occidit veneno, *Bald. Felin. Covar. Delb. f. 2.* Item qui ita occidit inimicum, cui promiserat amicitiam, *Farin. Barb. Delb. f. 3.* Item mater, quæ occidit infantem aut foetum animatum, uti docet *Delb. f. 2. cum Farin.*, contra *Bonac. & alios.* E contra proditorius non est sed gaudet immunitate, qui occidit inimicum sine specie amicitia, etiam incautum, uti volunt *Ricc. Bon. Barb. Sperel. Delb. f. 5.*, licet contradicant *Covar. Menoch. Suar. Farin. & alii*: item gaudet, si in duello occidat, *Farin. Dian. Delb. f. 6.* contra *Barb. & alios*: item qui occidit per industriam, sed non per insidias, quia non est proditorius, *Tusch. Ricc. Laym. Delb. f. 7.* contra *Mol. Gutt. Barb. & alios*: item qui per insidias deducit aliquem ad locum, in quo occiditur ab alio, non privatur tanquam proditorius, quia non occidit, attamen privari poterit, si fuerit assassinus, uti jam dicitur.

VI. Assassinus hic dicitur, qui interveniente pacto vel pretio aliquem conducit ad occidendum, vel qui pretio conductus occidit proximum incautum, uti AA. communiter cum *Delb. d. 21. f. 1.* Quod tenet, quamvis occidendus sit infidelis, quia est proximus, *Farin. Bon. Delb. f. 2.* contra *Covarr. & alios*: item quamvis occidendus sit inimicus conductis, dummodo non sit simul inimicus conducti, *Covarr. Bonac. Delb. f. 3.* Et privatur hic conductus ad occidendum, quamvis occisio non sequatur, quia verè fuit mandans assassinium, *Mascard. Delb. f. 5.* contra alios: conductus tamen non privatur, quia non occidit, *Farin. Suar. Masc. Laym. Delb. f. 4.* contra *Gutt. Barb. Bon. & alios*: uti &

probabile est eum non privari, qui tantum recepat, defendit vel occultat assassinum, *Dian. Novar. & alii cum Delb. f. 6.* Probabilius tamen videtur eum privari, qui pretio conductus aliquem testimonio falso vel injustâ sententiâ inducit in mortem, quamvis etiam oppositum sit probabile, *Delb. f. 7. & alii.*

VII. Hæretici, si confugerint ob crimen distinctum ab hæresi, gaudent, *Silv. Suar. Farin. Az. Trull. Bon. & alii cum Delb. dub. 10. f. 4. contra Nav. Tann. & alios.* Attamen putant plures cum *Delb. d. 22.* contra alios, nequidem suspectum de hæresi gaudere.

VIII. Reus læsæ Majestatis in personam Principis est, qui hunc occidit, vulnerat, percutit, hostiliter insequitur, contra eum conjurat, machinatur, revelat hostibus secretum, ut ab his capiatur; & idem est de consulente ista, auxiliante, etiam effectu non secuto: tamen si tantum defendat talem delinquentem, vel non revelet, non ideo censetur personam Principis aggredi, quamvis possit esse reus læsæ Majestatis: nomine Principis autem hic intelligitur, qui supremam habet jurisdictionem & nemini est subiectus, ac ita in persona offenditur à subdito suo originis vel domicilii. Et talis Princeps Ecclesiæ censetur etiam Cardinalis: probabiliter tamen tales non censentur, Principes Superiorem recognoscen-tes, nec uxor, filius vel legatus Principis independentis; uti nec asylo privantur peccantes in statuam Principis, quia quamvis Rei sint læsæ Majestatis, attamen non in personam ipsius Principis. Vide *Delb. dub. 23.*

1395

§. IV. Reus in Ecclesia existens non potest vinculis alligari, nec aliter vexari, nec ei potest negari victus aut requies, nec inferri ullum nocumentum, nec aliquid in Ecclesia justè possessum eripi, *L. Præ-*
senti,

senti, Cod. de dis, qui ad Eccles., Cap. *Diffinivit*,
 17. q. 4., *Covar. Tusch. Suar. Farin. Laym. Bon. Delb.*
 dub. 27. 28. 29. 30. Potest tamen, etiam à Judice sæ-
 culari, spoliari bonis, quæ extra Ecclesiam habet, si
 citatus non compareat, *Abb. Farin Suar Bon Delb.*
 d. 31. n. 15. Sed nequidem per Judicem Ecclesiasti-
 cum damnari potest ad mortem vel ullam pœnam
 corporalem aut huic æquivalentem, qualis esset
 perpetuus carcer, irremotes, servitus, exilium, gravis
 verberatio, verùm tantùm ad pœnam pecuniæ, quam
 si non habet, cùm Cap. *Inter alia*, de Imm. Eccl. di-
 catur, *super hoc, quod quis fecit, est alias legitimè*
puniendus, putat *Delb. n. 7.* non esse improbableem,
 quòd possit puniri aliquâ pœnâ corporali, non mul-
 tum afflictivâ: Si tamen reus nolit Judici sæculari
 tradi, quia timet, ne non stet promissione indemni-
 tatis ab alia pœna, debet hæc infligi à Judice Eccle-
 siastico, nec tum poterit postea conveniri amplius à
 Judice sæculari, *Delb. n. 8.* Praxis autem habet, ut
 quamvis existens in Ecclesia, etiam à Judice sæculari
 damnetur, etiam ad mortem postea subeundam,
 quando extra asylum capi poterit, per hoc enim non
 præjudicatur immunitati Ecclesiasticæ, uti notant
 AA. cum *Delb. n. 16* Præterea notant plerique non
 gaudere immunitate illos, qui ob correctionem mo-
 rum & pœnas morte vel mutilatione inferiores tra-
 hendi essent ad Superiorem Ecclesiasticum, uti re-
 spondit S. Congreg. apud *Pignat. T. I. consult. 435.*
 & colligitur ex Cap. *Inter alia*, nam legitimam
 confugæ punitionem permittit, *dummodo Eccle-*
sasticus Index delinquentis salvam habeat vitam
& membra.

§. V. Peccat graviter, qui impedit reum, ne
 confugiat ad immunitatem, aut ex hac expellit, quia
 qui immunitatem dedit loco, dedit reo jus illam ap-

1396

Z z z

prehen-

prehendi & eâ gaudendi: si tamen se indecenter habeat in loco Sacro aut culpâ suâ turbet quietem vel disciplinam regularem, & monitus non emendet, expelli poterit, quia est privilegium loci, & quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, Reg. 61. Juris in 6., Delb. dub. 48. Quod si exeat non ultra 30. passus ob necessitatem naturæ, capi non potest, Cap. Diffinivit, 17. q. 4., Suar. Bon. Delb. d. 25. f. 2. Et quamdiu reus est invitus, nec est casus ex 8. exceptis, nequidem per Episcopum potest extradi potestati sæculari, quamvis hæc præstaret cautionem de non infligenda pœna corporis, Delb. d. 27. Phœb. l. 2. t. II. n. II. Si autem sit crimen exceptum, tum debet Episcopi vel ejus Vicarii auctoritate extradi, etiam non præstitâ cautione illâ, Delb. d. 39. Et quaecumque fuerit crimen, requiritur talis licentia Episcopi expressa, Delb. d. 40. f. 1., nisi fortè Episcopus culpabiliter nollet extradere, tum enim posset Judex sæcularis extrahere, & in solo carcere Ecclesiastico detinere, usquedum Episcopus vel ejus Superior de crimine etiam excepto, & quamvis omnino notorio cognoverit, Ricc. Farin. Dian. Delb. f. 2. & 3. Possetque cognitionem illam facere etiam alius Judex Ecclesiasticus ab Episcopo deputatus, non autem Prælatus Regularis, Delb. d. 41. & 46. Et ad eundem Episcopum spectat cognoscere, an locus sit sacer necne, Delb. d. 41. Debentque contra reum concludenter probari omnia, alioquin privari non debet possessione asyli, Farin. Bonac. Ricc. Barb. Sanch. Lex. & alii cum Delb. d. 42. Nec tenetur Judex Ecclesiasticus quoad hoc stare processu factò à Judice sæculari, Delb. d. 43. Debetque præterea citare Ecclesiam & reum, cum jus habeant se defendendi Delb. d. 44. Quomodo autem hi, uti & testes audiri debeant; item quomodo

modo sit instituendus processus, habet *Delb.* d. 44. & 45. Et quando delictum exceptum est in Ecclesia commissum à Clerico, solus Ecclesiasticus Judex est competens; si autem à laico, datur locus præventioni, nam reus sortitur forum sæculare ratione suæ personæ, Ecclesiasticum autem ratione loci sacri violati, *Delb.* d. 49. Putant quidem *Abb. Silv. Arm. Nav. Rossel. Suar. Az. Bonac. Laym. Tann. Castrop.* tr. II, p. 7. n. 16. *Delb.* d. 10. f. 12. privilegio asyli non gaudere Clericum contra Judicem Ecclesiasticum, sed tantum contra laicum, quia jurisdictio Ecclesiastica exerceri potest in loco sacro, & Jura nulli loquuntur de Clerico confugiente, nisi respectu Judicis laici: attamen tenent *Farin. Covarr. Diaz, Clarus, Tusch. Zerol. Marian. Gutt. 1. Andr. Barb. Lotter. Fagn.* & alii cum *Pirhing* l. 3. t. 49. n. 39., quia verba sunt generalia, & non excipiuntur, nisi habentes crimina n. 1394. relata: rationes plures in utramque partem videri possunt apud *Delb.* supra & *Illung* t. 5. à n. 260., qui etiam inclinatur in priorem sententiam, sed Curia Romana dicitur anno 1695. secundum posteriorem improbasse factum cujusdam Episcopi in Germania, qui Abbatem sibi subiectum à Monasterio traxerat.

Denique si reus violatâ immunitate Ecclesiastica sit per vim extractus, debet ante omnia restitui Ecclesie, *Valent. Bon. Delb.* d. 25. f. 3. & d. 27. n. 10. Nec satis est, quod reo detur sponso impunitatis, nec quod reus ipse renunciaret juri suo, quia renunciare non potest, cum sit principaliter jus & causa Ecclesie, *Farin. Barb. Suar. Castrop. Delb.* d. 33. Unde si non restituatur, omnia, quæ fiunt, erunt irrita, uti habet *Const. Greg. XIV.*, & AA. cum *Delb.* d. 34. Et idem dicunt *Farin. Lex Delb.* d. 25. f. 4. contra *Abb. Silv.* & alios, quamvis extractus esset tan-

tum per metum gravem injustè incussum, nam æquivalet violentiæ; non tamen si tantum per blandicias, fraudem vel persuasionem aliam, uti habet communis: si tamen extractus sit promissione ipsiusmet Judicis spondentis impunitatem, puniri non posset, *Nav. Farin. Barb. Lex. & alii cum Delb. l. 5.* Nec potest extrahi veste, pede, manu, si horum unum protendatur extra Ecclesiam, quia censetur toto corpore remanere in Ecclesia, *Delb. d. 29. à n. 8.* Quod si violentè extractus & carceri sæculari inclusus, hinc evadat, sed è fuga retrahatur, videtur perdere privilegium immunitatis, non aliter ac si è loco sacro fugiens captus esset, *Farin. Delb. d. 31. n. 17.* De cætero extrahens aut mandans extrahi reum cum violatione immunitatis Ecclesiasticæ; item non restituens extractum, incurrit sacrilegium, excommunicationem, infamiam, reatum pœnæ capitis & multam pecuniariam, uti ex juribus & AA. ostendit *Delb. d. 35.* An autem incurrat tentans extrahere aut mandans extrahi, si effectus non sequatur, vide *Delb. d. 36.* Et multò magis incurrit pœnas illas Judex laicus, si ex ipsius mandato reus occidatur in Ecclesia, *Delb. d. 37.* Probabile tamen est posse etiam Ordinarium absolvere ab excommunicatione ideo incurta, quia nullibi legitur esse reservata, quamvis enim reservetur violatio libertatis Ecclesiasticæ, quæ ad personas sacras spectat, non tamen immunitatis, quæ tantum respicit loca sacra, *Barb. Bonac. Ricc. & alii cum Delb. d. 38.*, qui tamen suadet oppositum in praxi, ob stylum Pœnitentiariæ Romanæ.

1397

Q. 240. Quid notandum sit circa jus Regaliæ; item circa potestatem & auctoritatem Romani Pontificis. R. De his scripsit fusè & doctè Cardinalis Sfondratus in libro quem vocavit, *Regale Sacerdotium*